

conati sunt. Altera libratio, quæ fit in coluro Æquinoctiorum, saluat inæqualem præcessionem Æquinoctiorum, & eliminat octauæ fixarum Sphæræ, quæ vltima est apud Copernicum, motum trepidationis, illiq; quietem suam restituit. Atque ne non & hic motus aliquid in cæteris motibus fœneretur: tollit irregularitatem motus, quem omnium septem Planetarum, vt & Apogæorum motus habere debuissent (non sine ministerio aliquot nouorum circularum) quia compertum est omnes motus æqualiter per fixas incedere.

Quartus denique motus est ipsius globi terreni & circumfusi aeris proprius, cuius periodus est 24 horarum in eandem mundi plagam cum cæteris, nempe ab occasu in ortum: propter quem totus mundus reliquus ab ortu in occasum, imperturbatis magno miraculo motibus secundis ferri putatur. Cadit igitur illa incredibiliter alta & pernix decima Sphæra ἀναστροφῆς, cuius & totius mundi tanta esset in Ptolemæo pernicitas, vt vno nictu oculi aliquot millia miliarium transfirent. Ac quæso te, ad tabellam respicias, & cogites, quòd tellus hæc nostra, de cuius motu disputatur, exigui circelli lunaris ad λ , septuagesimam vix demum partem diametri æquet: Ab hoc circello dein ad Saturni amplitudinem, & ab hac ad fixarum inæstimabilem altitudinem oculos intende, & denique conclude, vtrum factu credituque facilius, punctulum illud intra λ circellum, & sic tellurem in vnam plagam rotari, an verò totum mundum decem distinctis motibus (quia decem ab inuicem soluti orbis) infanda rapiditate ire in plagam alteram, nec quoquam, nisi ad illud punctulum, telluris imagunculam, eamque solam immobilem, respicere, quia extrà nihil est.

Huc pertinet Tabella Prima & Secunda:

C A P V T I I.

Primaria demonstrationis delineatio.



VIBVS ita præmissis, vt ad propositum veniam; atq; modò recensitas Copernici hypotheses de mundo nouo, nouo argumento probem: rem à primo, quod aiunt, ouo, qua breuitate fieri poterit repetam.

Corpus